

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput XXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

reddebam mala pro bonis tuis; tu verò non desinebas +  
 reddere bona pro malis meis. Millies itaq; merui in-  
 fernum, et millies, si ita loqui fas est, offers mihi coe-  
 lum. Verè miseriçordia tua magna est super me. Heu <sup>ps. 85</sup>  
 cor meum ferreum sit oportet, si iam ad tui amorem  
 non moveatur. Ah tuum sit totum id, quod vivo, et <sup>Aug. in</sup>  
 totus totum me tibi offero. Totus Spiritus, totum <sup>Isid. C. 18</sup>  
 cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita  
 mea dulcis; quoniam totum me liberasti, ut totum  
 me possideres. Diligam te igitur virtus mea: diligam  
 te ineffabilis exultatio mea, et vivam iam non mihi  
 sed tibi soli.

Caput XXXVI.

Aspirationes ad Deum ob  
 ejus potentiam.

Domine Deus tu fecisti coelum et terram, et quicquid <sup>Esth. 13.</sup>  
 coeli ambitu continetur, à te suam originem profi-  
 tetur. A te omnia dulcia trahunt suam dulcedi-  
 nem, omnia amoena suam amoenitatem, omnia  
 pulchra suam pulchritudinem, omnia jucunda  
 jucunditatem, omnia viventia vitam suam, omnia  
 intelligentia suam notitiam, omnia perfecta suam

perfectionem, omnia deniq; quoquo modo bona suam  
 bonitatem: verbo in te, p[er] te, et à te sunt cuncta res, qua  
 sunt in coelo, et in terra. Tu regis universa, tu operaris  
 omnia. Ecquis obsecro, Domine ad te accedere non ses-  
 tinet. quis tibi perpetuò adherere non concupiscat,  
 ut de bonis tuis ditescat. tu enim solus sufficis,  
 desideria cordis implere, et à te solo, quacung; viden-  
 tur bona, sunt expectanda. ah bonum mihi adha-  
rere Deo, ponere in Domino Deo Spem meam. Domi-  
 ne Deus non dimittam te, donec benedixeris mihi,  
 donec impleantur desideria cordis mei, et de abun-  
 dantia bonitatis tuae repleatur anima mea.  
 2. Ecce Domine Deus sicut in manu tua sunt omnes  
 fines terræ, sic in manibus tuis sunt sortes meae.  
 Potens es Domine à cunctis me liberare malis, por-  
 tens es omnibus me beare votis. Ecquid à te sperare  
 possim quod prestare nequeas? Nunquid non quod  
 Math. 18. Deum omnia possibilia sunt. tu enim o Domi-  
 ne Deus meus per te ipsum potes dare, et agere non  
 solum id, quod omnis intellectus concipere sufficit  
 sed etiam omne illud, quod tua infinita sapientia

cogitare valet; cum in te tanta et talis sit potentia, quan-  
 ta et qualis Sapientia, quia utraque <sup>infinite</sup> ~~sapientia~~. O Deus  
 Deus meus Semper potens, Semper volens auxilium pre-  
 bere Sperantibus in te: Semper potens, Semper volens  
 bona tua communicare diligentibus te, me totum tibi  
 commendo, o tota Fiducia mea, tibi me totum offero,  
 o Spes mea certissima, in te me totum projicio, o  
 Salus mea unica! ah transfige medullas anime mee  
 dulcissimo amoris tui telo. Perfunde omnia intima  
 ignea charitate, ut vulneratus a te salubriter lan-  
 queam, et in te veluti deficiam.

3 Potentissime Domine rex coeli et terrae bene dixisti:  
per me reges regnant, et legum conditores justa decer-  
nunt: per me principes imperant, et potentes decernunt  
justitiam, in ditione enim tua cuncta sunt pos- prov. 8  
sita, nec est, qui possit resistere tuae voluntati. Esth. 13  
 Certè tua potentia attingit à fine usq; ad finem for-  
 titer, et disponit omnia suaviter: verbo tu facis  
 mirabilia magna solus, et ideo tantò es amabilior  
 anime mee, quantò mirabilior es in virtute tua.  
 ah te invoco exaudi, exaudi me Domine Deus  
 meus, te invoco: ostende in me potentiam tuam,

et dic: fiat lux tua, et fiet in anima mea lux, qua cognoscam te, et illustratus te toto corde diligam. O Deus effice, obsecro, ut spiritus meus frigidus, ac torpens totus incalescat. suscipe et posside me totum, o dulce solatium anime mee.

Caput XXXVII  
Aspirationes ad Deum ob  
ejus opulentiam

i Domine Deus, dixisti: mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae; melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso. In viis justitiae ambulo, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. O altitudo divitiarum Dei, quis eam comprehendere potest, quis eam enarrare sufficit? O divitiae! O opes, quae exsuperatis omnem sensum, quis det mihi, ut dignè promam, quod de vobis sentio. Domine Deus meus tecum sunt divitiae, gloria, et opes, nempe tecum sunt summa, imensa, et infinita bona, cum enim sis immensus, et infinitus, necesse est, ut et ea, quae sunt in te, sint sine numero, et mensura. Deus meus cur non iam accedo ad te, cum in te sint recondita omnia, quae explere possunt vota mea! O dives omnium bonarum dorum supernae satietatis opulen-

prov. 4.

S. Aug.